HOMILIA

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN DOMINICA RESURRECTIONIS

CHRISTI DOMINI

Inter Miſsarum Solemnia

IN BASILICA PRINCIPIS APOSTOLORUM

ANNO MDCCII.

FLORENTIÆ, MDCCII.
Typis Regiæ Celsitudinis
Apud Petrum Antonium Brigonci.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

HÆC eſt dies, quā fecit Dominus; Felix, & triumphalis dies, quam, qui fecit omnē diem, ac ſi nullam aliam feciſſet, feciſſe unicè gloriatur. Clara dies: Magna dies: Sanctа dies; dies natalis Eccleſiæ, beatæ æternitatis aurora, vitæ immortalis exordium. Exultemus itaque, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii; exultemus, & lætemur in eâ. Hodie nimirùm novus Adam, non in animam viventem, ſed in ſpiritum vivificantem formatus apparuit, novam Mundo daturus progeniem, non terrenam, & ſordidam, ſed cœleſtem, & ſplendidam. Hodie verum Dei Templum, Judaicâ nuper impietate deſtructum, Divina poſt triduum Omnipotentia reparavit. Hodie forma ſervi reverſa eſt in formam Dei, ac exinanitio humilitatis ad priſtinæ al-

titudinis rediit majeſtatem. Hodie conſtabilita eſt Fides noſtra. Hodie cœleſtis Patriæ ſpes nobis facta eſt. Hodie ſalutis noſtræ completum eſt Sacramentum. Hodie demum qui traditus fuerat propter delicta noſtra, reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Reddunt inferna victorem, ſuſcipiunt ſuperna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſivit in gloriam. Unde inquit Apoſtolus: Abſorpta eſt mors in victoriâ. Noluit Chriſtus, Judæis illudentibus, de Cruce deſcendere, ut vitam ſervaret ſuam: voluit, Cœlo, Terraq; plaudentibus, de ſepulchro ſurgere, ut mortem deſtrueret noſtram; natus eſt, ut doceret; mortuus eſt, ut ſanaret; reſurrexit, ut glorificaret. Repetamus igitur, Dilectiſſimi, piâ ad Deum gratiarum actione gaudentes. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in eâ. Gratulemur Chriſto, gratulemur & nobis. Chriſto poſt cruenti agonem certaminis opima de hoſtibus ſpolia magnificè reportanti; Nobis poſt

diu-

diuturnæ vincula captivitatis futuræ ſpecimen gloriæ feliciter recipientibus. Chriſto, quod, Dæmonis tyrannide everſâ, Inferni portas æreas contriverit, ac vectes ferreos confregerit; Nobis, quod de regione umbræ mortis ad terram repromiſſionis vocati, qui eramus aliquando tenebræ, nunc lux in Domino ſimus. Chriſto, quod receptâ, quam depoſuerat, carnis ſubſtantiâ, nihil in ea habeat amplius caducum, mortale nihil, nihil infirmum; Nobis, quod à peccati ſervitute erepti plus per ineffabilem Reparatoris noſtri acquiſiverimus gratiam, quàm per hoſtis humani generis amiſeramus invidiam. Chriſti itaque ſimul, & noſtram ſacræ hujus diei meritò dicamus celebritatem, non tamen ſterili tantùm gratulationis officio, ſed fecunda operis exhibitione recolendam. Admonet nos Eccleſia ſic ea meminiſſe, quæ geſta ſunt, ut quæ à nobis ſimiliter gerenda ſint, cogitemus. Evangelicas proinde Mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt,

imi-

imitemur , nec aliàs , quàm cum virtutum odoramentis, hoc eſt firmæ fidei, certæ ſpei, ac ſinceræ charitatis operibus accedamus ad Dominum. Exuamus veterem hominem cum actibus ſuis, ac mortifera ejus ſpolia in ſepulchro Chriſti, quod revoluto lapide vacuum invenimus, alacri animo deponamus. Expurgemus vetus fermentum, fermentum malitiæ, & nequitiæ, ut ſimus nova conſperſio; ac quemadmodum Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, nec mors illi ultrà dominabitur, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, ad vetuſtatem, quam deſeruimus, non redituri. Nimiùm hucuſq; terrena quæſivimus, cœleſtia negleximus. Incipiamus jam nolle, quæ hactenus voluimus: deſinamus velle, quæ nolle hactenus neſcivimus. Ad æterna vocatos animos peritura bona non teneant: ſurgentem è tumulo Dominum ſequi geſtie[illegible]es caduca deſideria non retardent: viam veritatis ingreſſos fallaces Mundi illecebræ non deflectant.

Quæ

Quæ ſurſum ſunt , quæramus, quæ ſurſum ſunt , ſapiamus , non quæ ſuper terram ; ut ita cum Chriſto verè reſurrexiſſe probemur , ac Paſcha Domini in azymis ſinceritatis, & veritatis celebrantes, Salvatorem expectemus Chriſtum Jeſum , qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.

99 953745